





2. D. B. V.
DISPUTATIONEM

1704 8

Ex
PHILOSOPHIA MORALI
De
INTENTIONE
ACTIONEM MALAM NON
MUTANTE,

2. 46
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO JUVENTUTIS PRINCIPE
FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS BRAN-
DENBURGENSIS HEREDE,
CETERA,

Inclutæ Facultatis Philosophicæ Consensu
IN ILLUSTRIS ACADEMIA FRIDERICIANA,
PRÆSES
M. JOHANNES THEOPHILUS Keuling/
Longo-Saliffa Thur.

Publico & placido eruditorum examini exponit

RESPONDENTE
JOHANNES JACOBO Horn/
Numb, Misn,

A D. XVII Octobr. MDCC IV.

HALÆ, LITERIS SALFELDIANIS.



VIRIS,

*Excellentissimis, Pranobilissimis, Amplissimis
atque Prudentissimis,*

DOMINIS,
CONSULIBUS,
CAMERARIIS,

Totique

ORDINI SENATORIO
INCLUTÆ REIPUBLICÆ NUMBUR-
GENSIS SPLENDIDISSIMO,

*Dominis, Patronis & Amplificatoribus
suis sancte demisseque Venerandis*

Disputationem hanc Philosophicam

Animi summorum & immortalium collocatorum in se
beneficiorum memoris pignus

offert

obstrictissimus
P R Æ S E S

Q. D. B. V.
PROOEMIUM.

Conscientia securitati in rebus non minus subeundis, quam etiam perficiendis, prospectum esse iudicio, actus quicumque morales si ad unicam eandemque adequatam & prorsus immutabilem dirigantur normam atque regulam (a), mortalium quisque ut rectum teneat cursum, nec libere vagando in vitiorum scopulos illidat. Enimvero hi ipsi normatarum (b) norme indigentium induunt naturam, per quam aequae ad moralitatis terminum, rectitudinem videlicet, revocantur, atque simul ratio habitudoque eorum fit manifesta: utrum haec normata ad regulam suam congruant, ac proinde rectorum honestorumque nomen mereantur; an vero ab eadem discrepent, deficiantque, & hoc pacto malorum classi debeant accenseri? qua de norma atque regula anxie disquisiturus facili opera intelliget, (c) primam summamque Dei voluntatem esse conscientiam active obligantem: proximam vero immediatamque constituere legem nobis insitam, voluntatem Dei quae exprimit, & veluti (d) divinum quoddam speculum existit, in quo & facienda & fugienda resfulgent, ut adeo vim obligandi normandique solus

A 2 sibi

- (a) Robertus Sanderfon de conscientia pralect. IV.
(b) Meisneri Philosoph. Sobr. part. I. Sect. II. cap. II. quaest. II.
(c) Sanderfon loc cit. & Guilhelm. Amesius de conscient. Lib. I. cap. II.
(d) Meisner. l. c. p. m. 466.

sibi vendicet (e). Atqui vero cum res ita comparata sit, tantum abest, ut cum praefata Casuistarum caterva opinioni non nisi probabili ad bene agendum sufficienti (f) confidamus, ut eam potius ad ultimam usque Thulem relegemus; utpote qui (g) vel ad exemplum pii cuiusvis & docti hominis, vel etiam ad ejusdem iudicium provocant, dicendo, se se factaque sua quovis modo exinde tueri posse. Neque existimandum, ac si hac errorum voragine supersedeat audax dissentientium cohors, quandoquidem ex absurdorum uno incidunt in alterum, dum, nescio quo instinctu, honestarum turpiumque cynosuram denuo deserunt, propugnando mordicus, actiones (h) suapte natura malas, aut nullis circumstantiis emendandas solo animi flexu, seu intentione bonas, bonas feri atque honestas. Et quoniam proh dolor! haec monstrosa Casuistarum opinio longe lateque diffundens plurimorum animos, in eos veluti penetrando haurit fecus, ac virus subtilissimum, invaserit: itaque materiae tam arduae necessitas aequae ac incunctae arigit, intentionem actionem malam haurit mutantem, excutere, & hujus veritatem solidis probatisque rationis principiis evincere. Quod negotium, ut laetum auspiciatumque sit, Nobis suam adspargat gratiam NUMEN INDULGENTISSIMUM!

Corr.

- (e) Dn. Prof. Buddeus Ethic. cap. I. §. XX.
 (f) Ludovicus Montalius Epist. provincial. V. Jegerus de Conscient. p. m. 212.
 (g) Sunt illi nominatim Escobarius in princip. exam. III. n. VIII.
 Diana Part. III. Tra&t. IV. resol. 244.
 (h) Lesius Lib. II. cap. IX. num. 68.
 Baumius summa peccat 710.

CONSPECTUS.

§. I.
Origo vocis evolvitur, ab ambiguitate etiam liberatur.

Notat intentio actum voluntatis elicitorum.

Sex in universum recensentur actus; quorum tres in finem tendentes explicantur, quos inter eminentes hic loci intentio.

Intentio cum se negat congruentiam.

§. II.
Intentio accipitur (1) modo formaliter pro actu voluntatis.

(2) Modo materialiter pro fine intento.

Ultima acceptio (a) infert nudum finem.

Subjungitur Pufendorfi definitio.

(b) Notat etiam finem cum relatione ad media.

Illam hic obinet vulgo: hæc non primario expenditur.

§. III.
Actionem inter & effectiorem Aristoteles notat differentiam.

Probat ex diversitate utriusque finis, quam diverse definitiones insinuant.

Ety non Varronianum exploditur.

§. IV.
Distinctio inter actionem hominis & humanam explicationi subijciat: posterior hic tantum obtinet.

Actiones inde resultantes defini-

untur, quarum alia bona, alia mala dicitur.

§. V.
Notatur vocabuli mutare generis acceptio.

Ostenditur variis mutandi modis.

Gradualis sive accidentalis certo respectu admittitur, essentialis negatur in nostro negotio.

Formatur Status Controversia.

§. VI.
Actum malum ex intentione subire mutationem, vanum est.

(1) Nam ex se hæc eligibilis deprehenditur ad bonam agentis intentionem ob rationem contradictionem.

(2) Non ordinabilis est ad bonum finem, qui presupponit media convenientia & bona.

(3) Probat ex nexu intentionis mediocorumque cum fine necessario.

§. VII.
Itur obviam (1) dubio, ac si Deus actionem malam, ex ipsa eliciendo bonam, mutaret.

(2) Distinguitur inter dirigere & producere, pariterque & inter id, quod fit ex se, & per accidens.

§. VIII.
Due contraria essentia in uno numero actu citra contradictionem conciliari nequeunt: igitur non potest actio mala in se mutari in bonam.

A a

§. IX. In-

§. IX.

Intentio classis circumstantiarum accenseri debet.

Circumstantiarum ratio evoluitur. Confirmatur mala actionis per inveniuntur immutabilitas argumento.

§. X.

Finis circumstantiarum praecipua est, adeoque pro causa habeatur oportet.

Bonitas actionis a fine promanet, idque non modo in illis actibus, qui obiective boni sunt, sed etiam in istis, qui indifferentiam dicunt.

§. XI.

Reliquae circumstantiae citra obiecti & finis bonitatem bonae finis, necesse est.

Probatur Sandersi suffragio.

Tum explicatius dicitur, quomodo circumstantiae ad actum concurrunt.

Rejicitur quorundam Moralistarum hypothesis, unum scilicet numero actum ex bono & malo consistere posse.

§. XII.

Ex inductione ad absurdum demonstratur, actionem malam in bonam ex intentione bona esse immutabilem, idque

(1) Ex immutabilitate voluntatis divina.

(2) Ex ablatione obligationis iumentum.

(3) Ex omnium scelerum sine reatu & poena admissione.

(4) Meisneri aliorumque iudicia allegantur.

§. XIII.

Evincuntur hactenus dicta exemplis; introducitur.

(1) Uzzin.

(2) Saulus.

(3) Pharisei.

§. XIV.

Nuge Jesuitarum circa intentionem recensentur, quae pariter ex eorum verbis, partim ex iam evictis facile confutari queunt.

§. XV.

Intentio tamen excusat in talium modi actionibus, quae saltem ad malum prone sunt.

Thomas eodem respicit.

Dilucidatur exemplo Episcopi & Augustini.

§. XVI.

Non valet reciprocatio: quia intentione bona actio mala non mutatur, ergo nec actio bona intentione mala desinat esse.

Prob. (1) Quia actio bona cum lege adequatam dicit convenientiam.

(2) Quia bonum habet rationem perfecti numeri.

(3) Quia a justa mensura multis modis defici potest.

(4) Thomas consentit: Dionysius Areopagita idem sentit: Sandersonus perinde statuit.

§. XVII.

§. XVII.

Actus moraliter bonus & interiorum & exteriorum bonitatem supponit.

Prob. (1) Exemplis abstinentis & cibo;

(2) Ambeuntis sacrum munus.

(3) Caribaginesium.

§. XVIII.

Comprobatur ulterius testimonio Augustini, Gregorii M., Scripturae, Seneca, Laurentii Justin. &c.

§. XIX.

Expeditur controversia: an actus gentilitium moraliter fuerint boni?

Re. Et bonos & malos fu esse, diverso tamen respectu & modo. Si quiddamitative considerentur, bonitatem eorum concedimus: sin vero relative, in ordine videlicet ad operantem, propter bone intentionis carentiam puros fuisse, asserimus.

§. XX.

Epilogus capit Benevolentiam Lectoris, ut leniter censeat, sicuti quid irrepserit, quod incongrue, ipsi dictum videatur. Si autem fortasse boni quid acceptique deprecendat, id DEO acceptum ferendum esse, iudicet; utpote cui soli laus debetur & gloria.

§. I.



Vod intentionis vocabulum a verbo intendere descendat, manifestum est, quod a venatoribus (a) translatum, quia retia intendunt ad feras captandas: vel a sagittis atque arcu. Proinde intentio (b) proprie supponitur pro actione intendentis, & passione intenti. Notat vero neutiquam (c) in universum quamcunque tendentiam in objectum, nec actum intellectus, qui Logicis vocari consuevit intentio mentis; quin potius peculiarem voluntatis actum, distinctum a cæteris interioribus voluntatis actibus, importat. Actus voluntatis, pura

(a) Donat, in Andr. IV. 14.

(b) Martini Lexicon Philolog. p. m. 1292.

(c) Dn. Prof. Sperlette Phil. Moral. Christ. p. 52.

puta interiores, (d) sex speciatim constituuntur. quorum alii circa finem, alii circa ea, quæ sunt ad finem, determinantur, idque ob geminum voluntatis objectum, quod modo absolutum, finis nimirum per se expetibilis, modo vero respectivum, quod aliud propter expetibile mediumque audit, vere appellatur (e). Priori sensu tres voluntatis operationes recensentur: velle nempe, intendere atque frui. De volitione, quæ primam voluntatis inclinationem in bonum propositum per se expetibile, involuit, præscinditque & a boni præsentia & absentia (f), hautquidquam sumus solliciti. Neque circa fruitionem, bonum præsens respicientem, jamjam occupamur, quam consistere pronunciamus (g) in quietudine voluntatis in fine obtento & præsentem: sed potius intentionem attendimus quæ (b) bonum absens respicit. Propterea vero nulla legitimæ sequelæ specie inferitur, cum spe istam coincidere, & adæquatam dicere convenientiam; utpote cum spes (i) circa finem absentem & possibilem ab aliena potestate obtinendum: intentio vero circa id, quod ut obtineatur, in potestate nostra situm sit, versetur.

§. II.

Diversimode admodum supponi intentionem, ex eo dispalescit; quandoquidem accipitur vel proprie & for-

(d) Morisjan. Disput. Lib. X, Etb. Arist. Disput. II. dub. I.

(e) Azor. Tom. I, Lib. I, cap. XIX.

(f) Tannerum Tom. II. Disput. II. quæst. 3. num. 20.

(g) Eustachius a S. Paulo part. II. Phil. p. m. 47.

(h) Becanus de actu human. cap. III. n. VI.

(i) Sperletius l. c.

formaliter (k) pro actu intendendi ex voluntatis motu, ad finem qui relationem involvit, resultante: vel materialiter & objective pro fine, in quem fertur voluntas. Quo sensu rursus bifariam considerari potest: sive prout insinuat intuitum illius boni, in quod voluntas præcise tendit, abstrahendo se a consideratione mediorum. Atque sub hac ratione importat finem cuiuslibet præstitutum, ut adeo intentio (l) mala malus sit finis, & intentio bona bonus sit finis. Pufendorffii (m) aliorumque (n) definitio huc redit: Intentio, seu prææresis est desiderium efficax finem obtinendi. Vel sumitur pro integra processus ordinatione ab initio operis ad finem usque, includendo etiam media, Quo etiam Martyr (o) collineat, appellitando intentionem animi motum in finem per media tendentem. Prior in præsentis acceptio juxta vulgarem loquendi modum speciatim nobis hic attenditur.

§. III.

Circa actionis evolutionem præcipuè conspicendum sese præbet discrimen, ad quod (p) Aristoteles veluti religiose attendit, distinguendo duo inter hæc vocabula *πρότερον* & *ποῦν*, agere & efficere (quantumvis Latinis haur raro promiscue & æquipollenter usurpentur); ut adeo non tantum quoad sonum, sed

B

qua

(k) *Sanderf. l. c.*

(l) *Wendrockius in not. ad. Epist. VIII Montatr. Observat. select. Hallens. l. c.*

(m) *l. c. Lib. I. cap. IV. §. I. it. Morisan. l. c.*

(n) *Rabrensee Prudent. moral. part. II. c. III. §. 25. Calixt. Epit. Theol. moral. p. m. 36.*

(o) *Comment. in Lib. jud. cap. VIII. p. 109.*

(p) *Lib. VI, Eubic. Nicomach. c. V. & V.*

qua rem etiam distincta statuat, totoque genere diffi-
 milia concipiat. Ἄλλο, inquit ille, τὸ γένος προ-
 ξέειν καὶ ποιήσειν ἐστίν. Ἐτέρον δὲ προξέειν καὶ
 ποιήσειν. Quo nomine haut obscure arguit, nec actio-
 nem effectiōnem, nec effectiōnem actionem esse, dici-
 ve posse, id quod ex finis utriusque, actionis scilicet,
 effectiōnisque diversitate colligere licet. Actio siqui-
 dem juxta Philosophum (q), præter operationem, nul-
 lum opus relinquit. Quo pariter alii, quos inter no-
 minatim Cicero (r), intendunt. Recte igitur illa, prout
 in genere moris est, præscinditur & a bonitate &
 a malitia, nec minus a vera & putativa felicitate, (s)
 definitur, quod sit *actus a voluntate per rationem directus
 in re agibili cum respectu ad legem, seu regulam, libere pro-
 ductus*. Contra ea effectiōnem Meierus (t) dicit in-
 tellectus operationem ad aliquid reale & in sensum incur-
 rendum dicitur. Ex quibus constat, & officitur, actio-
 nem non in tanta sumi latitudine, quanta quidem con-
 spicitur in ipso vocis Varroniano etymo, ubi ad hanc
 universalitatem affurgit, ut & rebus animatis & in-
 animatis ex æquo conveniat; quandoquidem Philo-
 sophorum rigor nobis observari debet, qui talis mo-
 di actionis rationem importat, quæ non nisi homini
 ratione prædito dicitur competitibilis. Quo in sensu re-
 strictivo proprioque & Danæus (u) eam insinuat:

Actio

(q) *Aristot. l. c. cap. V. & Lib. I. cap. I.*

(r) *Lib. III. de fin.*

(s) *Riebrensee l. c. part. II. c. I. §. XI.*

(t) *Gnostol. part. gen. c. VII. sect. I. Thef. XIII. §. III.*

(u) *Eth. Christ. Lib. I. cap. IV.*

*Actio erit non cujuslibet rei, etiam se se moventis, agitatus:
sed illius tantum, quæ consilio quodam uti videntur.*

§. IV.

Jam vero actiones ab homine procedentes (x) in duplici differentia sunt: quædam actiones hominis, quædam actiones humanæ sunt. Illæ quoque vegetativo & sensitivo conveniunt principio, quæ fiunt ab homine (y) sine advertentia rationis, impulsu scilicet potius spirituum animalium & humorum corporis, quam affectu voluntatis. Hæ vero sunt tales actiones, quæ ab homine solo promanant cum advertentia rationis, adeoque & laudis & vituperii capaces sunt, ac proprie moralitati subternuntur. Ultima obtinet acceptio, ubi pensamus actionem non in genere naturæ (z) præcise & secundum entitatem suam, quæ distinctio (a) priori affinis est; quin potius in genere moris secundum determinatam naturam & essentiam, in quantum non actionem tantum (b) interiorem, quæ in voluntate existit, verum exteriores quoque omnes inde promanantes, quæ in facultatibus executivis resident, volumus intellectas & expensas: quo deinceps respectu diversam induunt naturam, cum actio alia bonæ, alia malæ actionis nomine veniat. De bona, quæ (c) cum lege congruit, hic primario non disquiritur; ad malam potius, quæ ab eadem discrepat, advertimus.

- (x) H. Grotius de J. B. & P. Lib. I. cap. I. §. IX. not.
(y) Sperkiv l. c. p. 8.
(z) Røhrensee l. c. part. II. c. I. §. VII.
(a) Osiand. Theol. Mor. part. gen. c. VIII. ib. I. p. 209.
(b) Sanderfon. l. c. pral. II. §. IV.
(c) Pufendorf. de J. N. & G. Lib. I. cap. VII. §. III.

§. V.

Verbis non prolixis, quicquid ἴδ mutare vi vocis vulgo importet, restat patiter dicendum. In confesso autem est, esse perinde atque facere, ut aliter quicquam se habeat, quam ante. Græcis est ἀλλάττειν. Hinc inde generaliter dicendo nequicquam aliud insinuat, quam statum ita rei convertere, ut vel desinat quid, vel aliud fiat, vel idem maneat sub alia atque alia accidentali ratione; veluti passim videre est apud Autores (d). De significatione ultima, qua (e), manente actione, mutantur aliqua ejus accidentia, hac vice non controversamur; quoniam ultro concedimus, dari gradualem immutationem, actionis bonitatem vel malitiam ratione quantitatis saltem aggravantem. Sed de primo atque secundo immutandi modo litigamus, qui substantialem quidditativamque rei mutabilitatem, vel destructionem, conjunctam cum productione novæ, & a priori realiter distinctæ speciei, in statum meliorem deterioremve transiata, involvit. Quando itaque nobis asseritur, intentionem non mutare actionem malam, clarissime hoc indigitamus, bonam qualemcunque intentionem, eamque solam, ac per se intellectam, nulla unquam ratione efficere posse, ut actio intrinsece mala essentialem subeat mutationem, induendo actionis moraliter bonæ naturam atque indolem.

VI.

Ut ne in aëre piscari videamur, non magis verbis,

(d) Rudolph Goclenii Lexic. Philos. & Scaliger de subtilit. Exercit. VI. disp. XIV.

(e) Jeger. Tract. de Leg. quest. IX.

bis, quam quidem rationibus contendentes, omnimo-
 dam per intentionem immutationis malæ actionis re-
 pugnantiam, ibimus demonstratum; idque ex sua,
 qua gaudet quidditate seu natura, vi cujus penitus in-
 habilis ineptaque deprehenditur vel ad eligendum, vel
 ad ordinandum ad bonam agentis intentionem, seu
 finem. Enimvero (f) quicquid ex sua natura, & qua
 tale, dicitur eligibile, id ipsum quoque appetibile sit,
 oportet: & quicquid appetitur, sub ratione boni appe-
 ti, nemini non constat. Atqui vero malam actionem,
 prout talis est, experi, rationali naturæ repugnat; ea
 siquidem nisi sibi conveniens non appetit. Quem-
 admodum enim tactus non potest fieri circa objectum
 non tangibile: Parili ratione malum formaliter tale,
 in quantum aversabile objectum est, voluntas appete-
 re nequit; alioquin malum, ut malum existeret bo-
 num & conveniens, quod contradictionem implicat
 (g) Tum nec ex sua natura ad bonam agentis intentio-
 nem ordinare licet; utpote cum intentio bona non so-
 lum bonum respiciat finem, sed speciatim quoque ad
 media (h) advertat, ope quorum & beneficio ad
 præfixum finem adspirare queat: *Cum electio medio-
 rum (i) ex intentione finis oriatur, & sit cum ea ita neces-
 sario connexa, ut habeat respectu ejus rationem accidentis
 cujusdam inseparabilis, vel necessaria circumstantia. De
 bonitate mediorum perquam erudite sic inferitur (k):*

B 3

Si

(f) Hieron. p. 7. 8.

(g) Eustach. a S. Paul. l. c. p. 9.

(h) P. Martyr Comment. in Lib. Judic. cap. VIII.
 Rudrauff. Instit. moral. Exercit. VIII. quest. IX.

(i) Sanderf. l. c. p. 67.

(k) Observat selecta Hallens. l. c. p. 299. seqq.

Si finis est norma mediorum, & adeo non potest non medium esse bonum, si bonus est finis. Ulterius dicitur: Errat autem & se ipsum nondum cognoscit, qui putat, se bonam intentionem habere, cum male agit. Mentitur, qui dicit, se corium furatum esse ob eleemosynas. Prætextus vero non est confundendus cum vera intentione,

§. VII.

Equidem ob stare videtur, quod nihilominus electio, pariter ac ad bonum finem mali ordinatio ex parte DEI existat; dum videlicet summus rerum Stator & Diribitor actiones mortalium qualescunque pravas eligit dirigitque ad finem bonum & laudabilem: Ut proinde ex eo resultare appareat, malum quemvis actum directione intentionis mutari constituique posse bonum. Objectiuncula decisu facilis est, dumodo dispar expendatur ratio. Equis enim tam infusus, tamque ab omni ratione alienus sit, ut a limitata finitaque creature potentia ad illimitatum infinitumque Numinis jus potestatemve facere processum, ubi presumat? Nonne toto cælo differunt, productorem mali esse, & in ipsum saltem directorio uti? Deus malo quidem utitur in ordinatione ad bonum, quod vero minus de suo proprio, cum omnis expers labis sit, sed de alieno sumit, sicque ipsemet non facit malum, ut inde bonum proveniat. Deinde inter veram quoque rei causam, ejusdemque eventum distinxisse, plurimum interest. Fatemur igitur lubentes, (l) quoad eventum (m) mere contingenter & per accidens ex peccaminosis actibus DEUM elicere bonum finem, negando insimul veram

(l) Donati Reg. *Metaph. reg.* LXXVII. §. IX.

(m) Rudrauff. *Instit. moral. Exercit. II. Axiom. XL.*

ram ac realem productionis causalitatem, quæ potentia divinæ, ut causæ per se & proprie efficienti, imputari deberet; quoniam effectum causa sua præstantior em esse (n), implicat.

§. VIII.

Essentia, ceu constat, est nihil aliud, quam id, per quod quilibet & est, & est id, quod est (o); ut adeo non modo rem aliam ab alia distingvat, verum & in esse suo constituat, & denique insuper in agendo dirigat atque disponat. Res proinde due, vel plures, essentialium diversitate quæ gaudent, ob differentias sibi invicem contradictorie oppositas nulla unquam ratione inter sese convenire possunt. Ratio in promptu est, quod unaquæque res, (p) per unicam formam essentialiæve in indivisibili positam, est, & constituitur, quæ negata, alioquin consequens foret, & esse tale, quod est, quia ita dicitur, & non esse, quia fuerit immutatum, quod contradictorium. Quando itaque diversæ actionum species traduntur, quarum bonæ aliæ, aliæ malæ audiunt, idque ob veram realemque essentialium distinctionem ex immediata differentiarum oppositione promanantem; ubi nimirum actio bona a priori constituitur per congruentiam cum lege, mala vero eodem modo per discrepantiam ab ipsa; cognitum perquam facile est, manifestam quod involvat repugnantiam, contrarias utriusque actionis essentialias in uno numero actu concurrere, sicque actionem intrinsece malam mutari fieri ve bonam.

§. IX.

(n) *Stabl. Reg. Philos. Tit. III. Reg. IX.*

(o) *Donat. Metaph. Usual. part. gen. cap. III. §. VIII.*

(p) *Gerhard. de VRIES Exercit. ration. XII. §. I.*

§. IX.

Præterquam id, quod jam jam est evictum; accedit, quod in substantiarum censum utique referri debeat intentio bona materialitertalis, cum illa circumstantiæ, cur videlicet, rationem induat (q). Verum quid per circumstantias intelligendum veniat per se patet; siquidem his ipsis quædam actuum moralium accidentia insinuamus, quæ supponunt, eorundem in sua specie esse constitutos per ordinem ad objectum, ut adeo extra substantiam, extrinsecus veluti efficiendo, actus circumstantent. Exinde argumentari sic licet: Quicquid tantum extrinsecus malæ actionis essentiam afficit atque determinat, illud hanc ipsam destruere, in aliamque essentialiter convertere, est ineptum. Atqui vero bona agentis intentio tantum extrinsecus malæ actionis essentiam afficit. E. Propositio sua luce radiat: quippe quod ad rei alicujus essentiam relatum nec constitutive, nec consecutive, id mere contingenter accedit, & per consequens nullam mutationem intrinsecam importare poterit. Subsumptio itidem inconfesso est: enimvero actui per se, & intrinsece malo, quo de nobis potissimum dispiciendum est, objectum impertit malitiam, cujus propter a lege discrepantiam malus dicitur. Intentio vero agentis actui jam constituto foras saltem supervenit, mereque contingenter afficit. Recte ideo (r) pronunciatur: quod formaliter & intrinsece vitiosum est ac inbonestum, id per nullam extrinsecam vel temporis, vel loci, vel personæ circumstantiam potest fieri virtuosum & honestum.

(q) Calixt. Theol. Moral. p. m. 41.

(r) Mafner. l. c. sect. II. cap. II. quest. VI. p. m. 500.

stum. Externa enim internas rerum essentias non mutant aut abolent.

§. X.

Tantum vero abest, ut propterea omnem in universum circumstantiarum vim & efficaciam pernegandam esse, consequatur, ut potius limites terminique decernantur, ne plus justo istis assignetur. Peculiare quid præ cæteris finis sibi vendicat; utpote qui penes Philosophum (s) actuum humanorum principium appellitari consuevit, idque dubio procul ideo, quod circumstantiæ aliæ (t) se se habeant tantum per modum accidentis, finis vero sit etiam causa (puta externa) actus humani. Atqui idem est, quod (d) Damaſus infert: *Finis actionis est intentio & scopus ille, quem quisque, dum agit, animo sibi destinat & proponit: qui finis præcipua quedam est actionum nostrarum pars, circumstantia & causa.* Quo nomine solet dici, bonitatem actuum pendere a fine, & finem discriminare ac distingvere actiones: id quod vero in tantum non nisi conceditur, in quantum actus ratione objecti bonitatem supponit; quandoquidem materia, seu objectum actionis una quædam est de præcipuis circumstantiis, teste Gregor. Nysseno & Aristotele. Idem etiam obtinet, quod si objectum indeterminatum ad oppositorumque alterutram partem indifferens sit, tum finis seu intentio, si bona, ad bonitatem, sin mala, ad pravitatem limitat revocatque; ut (u) hoc pacto rationem circumstantiæ deponere, naturamque objecti induere, videatur.

C

§. XI.

(s) *Arist. Lib. VI. Etb. c. V.*

(t) *Etb. Christ. Lib. I. cap. VII.*

(u) *Calixti Epit. Theol. Moml. p. 43.*

Quamquam vero finis & objectum circumstantiarum momenti majoris nomine insigniuntur: *non tamen (x) adhuc dici potest (finis) simpliciter bonus, nisi fuerit insuper debite (ut loquuntur) circumstantionatus. Requiritur enim ad complementum boni operis, ultra bonitatem illam, quae est ex parte objecti, & illam quae est ex parte finis, tertia etiam bonitas ex parte circumstantiarum. Unde dici solet, bonitatem actus dependere ex circumstantiis; non primario & principaliter; sed ultimate & complete, suppositis nimirum bonitate objecti, & bonitate finis. Ex quo resultat, reliquas momenti inferioris circumstantias ad integritatem boni operis & necessario requiri, usque eo, ut, qui in una tantum circumstantia a praescripto legis discedit, male & perperam agat; uti copiose & luculenter satis Basiliius (y) docet. Etenim hae circumstantiae, quantum vis actionis formale haut quicquam absolvent, ita tamen actioni inhaerent & annexae sunt, ut non bonitatem solum ejusdem augeant malitiamque aggravent, verum & actus nostros alias difformes veluti informant, vultumque & faciem inducant; ut adeo factu perdifficile sit, tales circumstantias ab actionibus, nisi fortasse animo id fiat, realiter sequestrare. Quid insuper de quorundam (z) Doctorum sententia, duplicem, eamque diversam unius actus speciem esse propter bonitatem finis & pravitatem objecti, adeoque veluti ex bono & malo mixtum*

(x) Sanderson l. c. p. 64.

(y) Lib. II. de Baptism. interrog. VIII.

(z) Vincent. Contens. Lib. VI. Differt. II. cap. II. p. 58.
Caejtan. Tom. I. Opusc. Tract. XXXII. Reg. XIV.
Salm Tract. VII. Diss. III. Sect. XI. n. 24.

xtum quidpiam, iudicandum sit, alii (a) omnem, si qua est, difficultatem, manifestam arguendo contradictionem, fusius enodarunt.

§. XII.]

Dubia circumstantiarum ratione sic evoluta & explosa, ad residuam assertionis nostræ probationem ulteriorem facere progressum, e re nostra fore arbitramur. Quod uero agentis intentio ex malo bonum nullatenus quoquo modo elicere evaleat, exinde porro evadit perspicuum; quoniam, adversa hypothese admissa, infallibiliter relinqueretur, quemvis, indulgendo genio, refixis convulsisque Legum repagulis, quicquid velit, quod perpetrare deceat. Ecquis vero non sentiat, hoc pacto infringi prorsus & destrui voluntatem DEI immutabilem, absolute ac sine omnī conditione legem promulgantem, adeo, ut, quodcumque præcipit, servari non nolit, sicut a se præceptum est: & quodcumque vetat, ita omitti velit, quemadmodum in lege vetitum est. Vitio vertitur, si quis Virro, in quo eminet & pietas & integritas, alienam præter in sermone manifestatam mentem affingere intenderet: Quidni pariter nostrum foret, falsiloquium, quod modo cunque sit, a DEO removeret, unamque potius ac simplicem DEI voluntatem reverenter colere? Præterquam etiam iurejuranda essent irrita, nullamque unquam obligandi vim involverent, etiamsi contra veritatem conscientiamque dicerentur; dummodo is, qui jurat, intentionem, dirigendo ad æquivocationes, alio diverteret, quam iudex & auditor:

C 2

quod

(a) *Durand. II. Disp. XL. quæst. IX.*
Granad. Tract. X. Disp. VI.
Thom. Aquin. in secund. secund. Art. IV. ad 3.

quod tamen (b) Pufendorfius non sine prægnantibus
causis pro contradictorio, & consequenter pro absurdo
vendicat. Denique omnia omnino scelera hominum
cuius cum applausu essent admittenda, idque licite &
absque peccato, modo caveatur finis inhonestus &
illicitus. Sic paricidium filii degeneris incrusta-
retur inemendabili peccandi consuetudine paren-
tis: internecio proximi, privata autoritate patrata pro-
pter illatam injuriam, excusaretur intentione recupe-
randi nominis existimationem. *Tunc*, inquit Meisne-
rus (c), *furtum erogandi elemosynæ ergo factum, adulte-
rium ob interfectionem Tyranni commissum; latrocinium,*
propter suppetias contra hostem mittendas susceptum, pro re
honestæ habebis & laudabilis? Errabis omnino, si ita existima-
veris. Et tamen actionum harum omnium fines boni, in-
tentiones honestæ sunt. Cui scenæ quoque in primis infer-
vit, quod Hipponis Præsul (d) aliquando graviter pro-
nunciavit. Quod peccatissimum factum, quod turpissi-
imum flagitium, quod impiissimum sacrilegium non dicatur
fieri posse recte atque juste, si semel concesserimus, in omni-
bus malis operibus hominum ideo non quid fiat, sed quare fiat,
querendum, ut quæcunque propter bonas causas facta repe-
riuntur, nec ipsa mala esse judicentur? Acutissimi Theo-
logi Angli iudicium (e) huc itidem redit: Nihil (si in-
tentionis directio obrineret) inter homines tutum erit,
nihil sanctum, nihil ab injuriis, perjuriis, fraudibus, rapi-
nis, cadibus, perduellionibus immune: exulenti necesse est e
terra,

(b) I. N. & G. Libr. IV. cap. I. §. V.

(c) l. c. quest. V. p. m. 489.

(d) Augustin. Tom. IV. cap. VII. contra mendac.

(e) Saunderson l. c. p. 74.

terra, sine quibus conservari non possunt Respublicæ & hominum societas, Religio, justitia, Æquitas, Fides, Pax.

§. XIII.

Sicubi suppetere minus viderentur argumenta hucusque ex rationis dictamine deducta, exemplorum nonnulla pondus majus momentumque ulterius superaddere poterunt. Equis unquam crediderit, Uzzam (f) ad arcam fœderis manus extendentem, ne excuteretur in terram, mortem sibi acceleraturum esse præfentissimam? Exigua hac & levis momenti audacia (uti quibusdam visa est), quamvis mente optimam tenuerit intentionem, egregium tamen commisit peccatum; quoniam a sacerdotibus (g) illam non nisi esse gestandam, constabat, ceu pœna divinitus immissa, adstante summa hominum frequentia, fatis superque arguit. Sauli mens atque intentio (h) sacrificandi peccudem, ex reportata ab Amalekitarum Rege victoria quam acquisiverat, nil pravitatis redolere videbatur, si ita in corde senserit, quemadmodum ore pronuntiabat (quo de complures tamen maximopere ambigunt). Quicquid vero hujus rei sit, si vera dixerit, si vera falsa, exinde tamen facta nonnullorum exceptiuncula parum nobis molestiæ creare poterit; siquidem alium locum in scenam producturi sumus, ex quo clarius longe innotescat, quod Saulus ex mente bona malum opus perpetraverit. Cum enim aliquando animadverteret, a Philistæis sibi parari periculum, Propheta Samuel etiam commoraretur, ipse Saulus holocaustum Deo obtulit in Gilgala, ut eum expiaret, sibi que

(f) 2. Sam. VI.

(g) Num. IV. 5.

(h) 1. Sam. XV.

que ac populo Deum haberet propitium. At vero di-
viniore quodam afflatu percussus propheta (i) Regis
Israelitarum temeritatem ita coarguebat: *stulte egisti,
nec custodisti mandata Domini tui, quae praecepit tibi. Pha-
risaeorum caeterorumque scribarum indultus in tem-
plo Hierosolymitano vendendi pecudes, ad immolanda
holocausta necessarias, sine ulla dubitatione ex bono ani-
mo promanabat, ut in promptu paratoque forent: ni-
hilo tamen minus opus erat pessimum, quod, ejcien-
do vendentes perinde atque eementes, manifesto infi-
nuabat Christus (k): Domus mea domus preccationis est,
vos autem fecistis illam speluncam. Ad quod etiam quadrat
essatum gentium Doctoris gravissimum (l): Non sunt
facienda mala, ut inde eveniant bona.*

XIV.

Horrenda sunt, diuque turpia, quaecunque
Escobarius & Henriquez (m) circa intentionem de
caede inferenda monent, dicendo: *hanc intentionem
esse voluntatem dandi signa excellentia & existimationis
apud homines captanda.* Assentum istis praebet (n) Les-
sius: dico, inquit, *fas etiam est viro honorato, occidere in-
vasorem, qui sustem vel alapam intitur impingere, ut igno-
miniam inferat, si aliter hac ignominia vitari nequit.* In-
tentio bona viri nobilis, juxta mentem Lessii (o), est
voluntas retinendi pomii & servandi honores in pomo
servando constitutos, quando contumeliosum sibi
po-

(i) 1. Sam. XIII.

(k) Luc. XIX, 46.

(l) Rom. III, 8.

(m) Escobar. Theol. Moral. Tr. exam. VII. num. 48.

(n) De justitia & jure Lib. II. c. IX. dub. 12. n. 77.

(o) l. c. n. 68.

pomum eripere molientem interficit. Aliquanto fu-
sius hoc prosequitur (p) Escobarius : *aggreditur quis
virum nobilem seu alapa, seu baculo percutere, licetbitne ei
occidere prius aggressorem? Affirmat Lessius, Lib. II. cap.
IX. n. 77: quia maximum in aliquibus regionibus dedecus est,
alapas vel baculi verbera absque vindicta relinquere. Li-
mito tamen sententiam ad viros nobiles. Plebeis enim ala-
pa & verbera parum sunt dedecori. Bona intentio viri
castra sequentis ab altero ad duellum lacesciti, ceu
Hurtado de Mendota, referente Diana, (q) existi-
mat, est voluntas evitandi opinionem timiditatis; sic
enim ait: *Pone hominem nobilem ab alio provocatum ad
duellum, qui si illud recuset, non censebitur, illud recusa-
re propter legem DEI, sed propter timiditatem; quia non be-
ne audit de observatione legis, quia se facile projicit in alia
peccata, vel certo alia ex causa censebitur timidus, & ab
aliis despicietur, apud quos semper erit inglorius: ex quo
non levia damna & incommoda sequerentur. Progres-
sum instituit ulteriorem ad incrustandum, quem fovet,
errorem: provocati, ait, absolute voluntas est, tueri opi-
nionem viri fortis, & depellere infamiam timiditatis: que
objecta per se sunt honesta, necessario viro nobili ad degen-
dam vitam decore inter suos, precipue militi, qui ab exer-
citu censebitur galina, non vir: media autem, que eligit
ad hunc finem, sunt indifferentia ad bonum & malum, nem-
pe egredi in agrum, & in eo ambulare, que media bone-
stantur ab ipso sine. Tandem gladium, quo semet
ipsum veluti jugulat, inconsiderate tradit: solum
potest esse difficultas, quia provocatus videtur esse causa
ruina;**

(p) l. c. Traet. I. cap. III. prax. ex Societ. Jesu Doctores, p. 47.

(q) Part. V. Tr. IV. Miscell. respon. 99.

ruina; qui cum provocatum viderit in agro, illum aggreditur, quod non faceret; provocato non comparente &c. Plurium enumeratione, quos circa intentionis directionem insigniter hallucinatos esse, constat, superfedeamus, remittendo plura desiderantem ad Montaltium (r), qui desiderio cujusvis satisfaciet. Cæteroquin circa adductorum decidendi rationes si qua est difficultas, haut difficulter superari potest, dummodo intentionis causalitas in producendo opere in se, suaque natura malo, ex præoccupatis præstructisque explodatur.

§. XV.

Quamquam actiones in se naturave malas, id est, quæ non minus debito justitiæ, quam amoris divino atque humano repugnant, prorsus immutabiles, & ad bonitatem assumendam per intentionem esse haut quicquam idoneas, abunde innotuerit: Veruntamen ita minime intelligendum est, ac si ad ealimodi actiones simul respicerent illæ, quæ non nisi ad malum propensæ sunt, quæque additis quibusdam circumstantiis inordinationes deponunt suas, laudabilesque ac licitæ fiunt; ceu Thomas passim inculcat, juxta & alii firmiter statuunt. Etenim certo certius est, intentionem excusare, cum duo præcepta, quibus præstari simul obedientia nequit, simul concurrunt: id quod si accidit, necesse est, ut, omittendo minus, graviori pareatur. Exemplo illustrare liceat, quicquid forsitan obscure vel difficilis penes jam dicta residere videtur. Commissum sibi gregem deferenti Episcopo vel ob levitatem animi, vel ob commoditatem seu

tem.

(r) *Epist. provin. VII.*

temporale qualecunque commodum ; vitio ponitur jure meritissimo ; quamobrem de se Augustinus ex mente integerrima vere infert : *Noverit dilectio vestra, nunquam me absentem fuisse licentiosa libertate, sed necessaria servitute, qua saepe sanctos fratres & collegas meas, etiam labores marinos & transmarinos compulit sustinere.* Si vero Episcopus ob graviores causas concilio interesse, necesse habeat, vel ad instruendam disciplinam, vel ad abigendos veritatis hostium insultus, nil obstat, quo minus ex intentione bona excusetur opus ejus ; utpote cum cedat oporteat graviori minus præceptum ex necessitate sic cogente. Ex quo tamen non consequitur, *res istas, teste Wendorchio (s), in malum propensas fieri licitas sola & voluntaria animi directione ; sed ex additis illis circumstantiis, quibus ad bonum retorquentur.*

§. XVI.

De qualitate conditioneque operis in se mali nequitiam ex mera agentis intentione judicandum esse, ex disputatis ultro hujusque constat ; ex quo tamen vi contrariorum minus relinquitur : quia opus malum propter intentionem bonam fieri nequeat bonum, sic opus bonum per intentionem malam non posse reddi malum. Namque actio bona omnimodam dicit convenientiam cum legis DEI præceptis ; lex autem divina ad actionis bonæ complementum potest omnium in universum requisitarum conditionum

D

con.

(s) *In not. unic. ad Epist. VII. Morales.*

concursum, usque eo, ut, sic tam multis unica ab-
tuerit, cætera licet præsentés sint, actus tamen non
censendus moraliter bonus. Rationem adducit (t)
Pufendorfius: *Cum lex determinet vel qualitatem seu
dispositionem agentis, vel objectum, vel finem, vel cer-
tas denique circumstantias actionis, inde actio aliqua est
moraliter bona aut mala, vel quia ita agens est dispositus,
ut lex requirit, aut secus: vel quia actio dirigitur in ob-
jectum, eo fine, prout lege est dispositum, aut contra.*
Etenim quemadmodum ad perfectionem numeri om-
nes omnino unitates requiruntur, adeo, ut,
unica ademta vel subtracta, perfectio esse desinat: ea-
dem bonæ actionis ratio est, quæ ad suam bonitatem
omnes in universum causas, easque debitas ac bonas
exigit, ut adeo, deficiente una, bona amplius non sit,
sed evadat mala. Sive eodem recidit: quemadmo-
dum aliquid a justa mensura & pondere deficere infi-
nitis prope modis potest, una vero tantum ratio est,
per quam iuxta mensuram ac pondere convenit, nimi-
rum si illi adæquetur: simili ratione variis modis &
diverticulis opus malum perficitur, cum tamen una
tantum boni operis ratio veraque definitio sit. Hinc
inde recte infert Thomas (u): *Ad hoc, quod aliquid sit
bonum, requiritur, ut omnia recte conveniant.* Vel
quod perinde est: bonum (x) constat ex integra causa,
malum vero ex quovis defectu. Cujus ratio in cou-
fesso

(t) l. c. Lib. I. c. VII. §. IV.

(u) *Secund. secund. quest. CX.*

(x) *Dionysius Areopagita L. de divinis Nominibus c. IV.*

fesso est, quoniam (y) in omni rerum genere plura ad
construendum, quam ad destruendum requiruntur. Pro-
pterea relinquitur, equidem bonæ intentionis caren-
tiam sufficere ad hoc, ut actio sit mala: minime vero
actutum ex eo sequitur, intentionem bonam suppete-
re actioni bonæ, nisi etiam cæteræ conditiones ne-
cessariæ ubique pariter præsto sint.

§. XVII.

Sic ex hætenus disputatis luce meridiana clarius
patescit, ab exteriori, interiorique simul actu actio-
nis moraliter bonæ integritatem dependere; cum actio
(z) ipsa externa possit frequenter esse legi conformis aut
non disformis, & tamen homo ipse interne habere pessimam
intentionem. Exemplis illustrari potest: v. g. Siquan-
do per triduum quis a nimio potu sese temperat &
parcissime bibit, propterea, quod ad eum ventu-
rus est potator insignis, cui respondere viribus non
inparibus sibi proponit: pro temperante sanus nemo
ipsum venditabit. Sic etiam ambire Episcopatum,
res in se licita est atque honesta: qui enim (a) Episco-
patum desiderat, bonum opus desiderat; at si hujus
saturat, ut sub obtentu potestatis suæ, fundamenta re-
ligionis evertendo, hæreses in Ecclesiam introducat,
ejusdemque unitatem, in qua per DEI gratiam con-
stituta est, disrumpat, dubio procul male agit pro-
pter

D₂

(y) Sanderf. l. c. pag. 61.

(z) Tom. II. Obscr. select. Hallens. XIII. §. VIII.

(a) I. Timoth. III, 1.

pter proaeresin legi repugnantem. Ita (b) convenire ad cultum externum divinum, ita elemosynas dare pauperibus, ita vitam servare ei, qui in periculo mortis est, actiones sunt laudabiles & justissime: sed si homo ea intentione introeat cœtum fidelium, ut oculis scortetur: si elemosynas det, ut laudetur ab hominibus: si uxorem alterius ideo ex vite periculo liberet, ut adulterium cum ea committat, intentio hominis ipsam actionem simul inficit, & adeo uti homo in foro interno hic pro pio non habetur, ita nec ejus actio. Hinc apud Carthaginenses (c) in crucem tollebantur, qvi prospero eventu pravo consilio rem gesserant.

§. XIII.

Nunc deniquè Patrum aliorumque virorum, & autoritate & doctrina multum qui pollent, suffragiis modo evicta corroborare, meditabimur. D. Augustinus (d) prodeat, cujus verba huc redeunt; Plurimum interest, qua causa, quo fine, qua intentione quid fiat: sed non, qua constat esse peccata, nullo bonæ causæ obtentu, nullo quasi fine, nulla veluti bona intentione facienda sunt. Quo itidem respicit Gregorius Magnus (e): Cum perversa intentione quid vel rectum agitur, etsi splendere coram hominibus cernitur, apud examen tamen interni judicis obscuratur. Unde Servator (f): Vide, ne lumen, quod in te est, tenebra sint. Si lumen, quod in

10

(b) Observat. select. Hall. l. c. §. IX.

(c) Valerius Max. Libr. II. cap. VII. §. I.

Livius Libr. XXXVII. cap. XXXVIII.

(d) Contra mendac. cap. VII.

(e) Moral. Lib. XXVIII. cap. VI.

(f) Matth. VI, 23.

te est, tenebrae sunt, ipse tenebrae quanta erunt? quia si hoc, quod bene nos agere credimus, ex mala intentione fuscamus; quanta ipsa mala sunt, quae mala esse, etiam cum agimus, non ignoramus? Appositis huc etiam quadrat, quod aliquando Seneca (g): quoniam quidem, inquit, non in facto laus est, sed in eo, quemadmodum fiat. Exemplis hoc illustrat: Eadem res, si gula datur, turpis est; si honori, reprehensionem effugit. At hoc hereditatis causa, vultur est, cadaver expectat. Eadem & turpia sunt, & honesta; refert, quare, aut quemadmodum fiant. Ergo insigi debet persuasio (nos intentionem appellitamus) ad totam pertinens vitam; qualis haec persuasio fuit, talia erunt, quae agentur, quae cogitabuntur &c. Similiter succincte, bene tamen praecclare & nervose ita monet Laurentius Justinianus (h): In cunctis operibus, quicumque anima salutem exoptat, intentionis suae componat obtutum, & ad illud, quem divina lex mandat, dirigat finem, ut non casto labore defudet. Quibus succenturiare licet Richardum Victorium (i), quod est, ait, corpus sine vita, hoc est opus sine intentione.

§. XIX.

Coronidis loco levi saltem brachio attingere li-
bet quaestionem alioquin satis tritam atque perse-
tam: Num scilicet opera gentilium ad actus morali-

D 3 ter

(g) *XCV. circa med.*

(h) *De Regim. Praelat. cap. XXII.*

(i) *De Statu inter homines XVII.*

ter bonos revocare liceat? Utramque contradic-
tionis partem, cum ea duntaxat apparens sit, sub certa
atque determinata ratione admittendam esse, statuo.
Constat inter omnes, a religione alienis gentibus
æque legem fuisse insculptam, atque nobis Christiano
nomine gaudentibus, ut similiter ex dictamine ejus-
dem recta & laudabilia effecerint: ideo tantum abest,
ut pravitatem actibus ipsorum, qua tales sint, puta
bonis, assimulemus, ut potius eosdem æquos fuisse
atque licitos, perhibeamus. Quicumque enim actus
a natura, ut natura, residuas imaginis divinæ portiu-
culas habente, provenit, malum esse & iniquum,
repugnat. Atqui vero cum actiones æquæ & bonæ non
nisi a natura per essentiam bona, & nonnullis imaginis
divinæ portionibus stipata (k), procedant: quomodo
ergo hæc opera mala esse queunt? Nonne implicat,
causam bonam effectum gignere malum; cum omne
vitium effectus *delitescat in sua causa* (l)? Quam qui-
dem sententiam in tantum ego, in quantum intrin-
sece, & quoad suam quidditatem, actus qualiscunque
moraliter bonus expenditur, veram probatamque
volo. Contra vero, quando citra considerationem
intrinsecam essentialiæve actum penitentis, non dis-
simulandum est, a normæ rectitudine multum discre-
pare. Quanquam ethnici lauabiles produxerunt opera-
tiones, bene tamen factas haut quicquam statuo. Qui-
cunque enim actus, ut cum Augustino loquar, quo
bene fiat, ad verum legitimumque finem dirigatur
opor-

(k) *Meissn. l. c. quæst. gen. de Usu Phil. p. m. 52.*

(l) *Donat. Reg. Metaph. LXXI. p. m. 175.*

oportet. *Cum facit homo aliquid (m), ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur.* Jam vero quoniam gentiles homines propriam suam, non solius DEI gloriam, pro fine & intentione habebant, cum tamen virtutes (n), nisi ad DEUM referantur, non sint virtutes; proinde in actionum bonarum censum, quas supra enodavimus, nullo jure, nulla lege & æquitate ethnicorum operationes esse referendas, intrepide fatemur.

§. XX.

Hæc sunt, Benevole Lector, quæ pro ingenii virumque modulo veritatis tantum amore ductus, quæ (o) *nihil magis erubescit, quam abscondi*, in scenam producere volui. Si non omnino apte, ut debui, omnia dixi, homo homini ignoscas, cum omnibus me fecisse satis, neque spes sit, neque animus; *maximum liquidem (p) quæ scimus, est minimum eorum, quæ ignoramus*, ut propterea voce Hieronymi hæc hominibus sola sit perfectio, si imperfectos se esse noverint. Sin autem quid, qualecunque etiam sit, præstiti, non mihi, sed DEO meo unice acceptum feras; nam *mala mea, Hugone sic dicente, pure mala sunt; & mea sunt, bona autem mea pure bona sunt, nec mea sunt*, atque adeo ea, quæ (q) *male dicta, mihi homini adscribe, & da veniam: quæ bene dicta, DEO attribue, & da*

G L O R I A M.

-
- (m) August. Lib. IV. contra Julian.
 (n) August. Lib. XV. de Civit. DEI c. XXV.
 (o) Tertul. advers. Valent.
 (p) Fulgent. Lib. I. ad Mon. p. 8.
 (q) Cyprian. serm. de elemos.



COROLLARIA.

I.

Philosophia Christiano homini non officit.

II.

Nonnullæ imaginis divinæ scintillulæ etiamnum in homine residuæ sunt, quibus justum ab injusto naturaliter dignosci potest.

III.

Probabilitati anteferenda actionum moralium norma est.

IV.

Judicium vitiorum gravium longe postponendum legi est.

V.

Actus moraliter malus non nisi per dicit privationem, sed etiam positivi quicquam importat.

VI.

Bona intentio subinde malitiæ asylum est.



ULB Halle

004 068 491

3




f

5b.







2. D. B. V.
DISPUTATIONEM

1704 8

PHILOSOPHIA MORALI
De
INTENTIONE
ACTIONEM MALAM NON
MUTANTE,

P. 46
He
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO JUVENTUTIS PRINCIPE
FRIDERICO WILHELMO,
REGNI BORUSSICI ET ELECTORATUS BRANDENBURGENSIS HEREDE,
CETERA,

Inclutæ Facultatis Philosophicæ Consensu
IN ILLUSTRACADEMIA FRIDERICIANA,
PRÆSES
M. JOHANNES THEOPHILUS Keuling/
Longo-Saliffa Thur.

Publico & placido eruditorum examini exponit
RESPONDENTE
JOHANNES JACOBO Horn/
Numb, Mifn,

A. D. XVII. Octobr. CIO IDCC IV.

HALÆ, LITERIS SALFELDIANIS.

